



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Miraculum quod Erasmus narrat suo tempore factum esse, diuinitus
quibusdam qui SS. Sacramentum blasphemauerant punitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

- II. Miraculum quod Erasmus narrat suo tempore factum esse, diuinitus quibusdam qui SS. Sacramentum blasphemauerant puniis.
- III. Magnum & celeberrimum miraculum quod Lauduni in Veromanduis contigit.
- IV. Hæreticorum argumenta contra SS. Eucharistiam.
- V. Sacramentarij negant Dei omnipotentiam.
- VI. Quomodo corpus Iesu Christi sit in Sacramento.

I. EODEM tempore quo noui Heluetiorum Apostoli, Zuinglius & Oecolampadius Christianorum animis hunc de Eucharistia scrupulum iniiciunt, & à filijs Lutheri in dubium vocata est cœlestis omnipotentia, contra ipsius Lutheri sententiam, loco corporis Christi, panem supponendo, Deus Sacramenti huius veritatem per miracula testatus est, quæ tamen ipsa apud incredulos parum valuerunt, vt qui pœnis à Deo, ijs qui impuro suo ore sanctissimam hanc communionem, tamquam alteri Iudæ, profanauerant, inflictis, nec ad fidem nec ad pœnitentiam moueri se passi sint. Nihilominus veluti Iudas Sacramento hoc indigne accepto, à dæmone statim fuit infestus, & abiens laqueo suspendit se: sic etiam omni tempore multi qui panem hunc Carnem factum aut irruenter aut sine recta fide sumpserunt, miserabili morte perierunt. Exemplo sic hæreticus ille Mæcedonianus apud Sozomenum (a) & Nicephorum, (b) qui communionem e S. Chrysoftomi manibus indigne accepit Sed & dum hæc ipsa scribo, ille ipse locus (in quo, peste Burdigalam Aquitania nostra metropolim infestante, iam verfor) recens diuinæ vltionis in eiusmodi contemptores exemplum, infinita spectante hominum multitudine editum, mihi suppediuit.

Inueni cui dam, Paschatis tempore communicantium turbæ immisto, Sacerdos hostiam ore accipiendam porrigebat: quod tamen ille, etiam manu admota aperire non poterat. Sacerdos attonitus interrogat hominem vtrum peccata sua prius confessus esset? Tum ille vbertim lachrymari incipiens, id ab se factum negauit, eoque mirabili Dei vltione à sacra hac communionem merito arce-ri. Exemplum hoc simile est ei quod à Gregorio Turonensi de quodam, qui peccata sua Confessarium celauerat, refertur. (c) S. Cyprianus (d) Optatus Mileuitanus (e) & alij (f) infinita eiusmodi producunt exempla, quibus realis Corporis Christi in Eucharistia præsentia, contra Sacramentarios

confirmatur. Sed ommissis alijs, vnum vel alterum eius temporis quo primum infelix hoc schisma exortum est, recenscamus.

II. Erasmus, testis hac in re minime dubie fidei, libro XX. Epistoliarum (g) narrat quid Anno MDXXVIII. post, quindecim fere sæculis, de vera corporis Iesu Christi in Sacramento altaris præsentia, receptum & approbatum dogma, antea tunc contentione discullum & à Sacramentarijs conuulsum fuit, acciderit. Adituum ait, pixidem quãdam secum gestasse, in qua erant hostiæ aliquot quarum in S. communionem vsus est. Cauponam cum socio, qui itidem ædituus olim fuerat, ingressum, ab eo rogatum fuisse vt aliquam earum hostiarum expromeret. Quo recusante, ipsum suis manibus aperta pixide vnã sumpsisse, & per ludibrium sacerdotes imitatum, consecrassse. Altero eam reprehendente, & vt verba illa quibus panis in corpus & sanguinem Iesu Christi transmutetur, non ita profanaret monente, ipsum hominem dixisse: *Sine me. Abitu quo vsus, quid ad te attinet?* Ac simul hospitam in clamasse, vt vinum ferret. Verum statim ibi diuinam adfuisse vltionem. Vix enim miserum illum cantharum ori admouisse, & Ecce tremementem concidisse, & expirasse. Fabulam hæc non esse, ait Erasmus, testes multos adfuisse, nec locum, cui verus ciuitas, seu vulgo *Utenstatt* nomen ignotum esse. Quin etiam plura eadem de re circumferri, se vero explorata tantum scribere voluisse.

Non absimilis huic ea est historia quæ in Geldriensi ditione Anno MDLXI. accidisse dicitur. Vbi duo iuuenes, Nouiomagensis vnus, alter Ultraiectensis, Paschatis tempore deposito pignore, inter se certabant vter sua oua citius exforbuisset. Interea sacerdos Antonius Vorstilius nomine Sacramentum ad ægram fæminam deportans, ædes in quibus illi erant, forte præteribat. Tum Ultraiectensis audito nolæ sonitu, ouum manu arripuit, & *Ego, ouum hoc citius, inquit, deglutiam, quam ager ille quisquis est, Deum suum triticeum* (sein Semel Göttergen.) Sed res longe aliter cecidit. Vix enim ouum ori immiserat, quum ecce misero fauces simul

a Lib. 8. cap. 5. b Lib. 13. cap. 7. c Lib. 1. de glor. Marr. cap. 89. d Sermon. de Lags. e Lib. 4. cont. Donat. f August. de Ciuit. lib. 22. cap. 8. Prosper. Aquit. lib. 6. de Sacerd. Gul. in vit. Ber. lib. 1. cap. 10. Greg. Mag. lib. 4. dial. cap. 57. Bed. lib. 4. cap. 27. Aug. Hist. g Epist. ad Episc. Leodiens. h Bradenbach. Collat. sacr. lib. 7. cap. 90.

mal & spiritus præclusus fuit. In his ille angustijs candelam forte videt ex vno pendente: eaque arrepta, bolum in faucibus hærentem detrudere conatur: sed coincidens, toruis & in cælum fixis oculis, præfente qui interea accurrerat, illo ipso sacerdote, & multis hominibus inspectantibus, fuit præfocatus, omnibus diuinæ hoc iustitiæ exemplum admirantibus, & cantu quoque passim celebrantibus. En eadem Dei manus impiam & sacrilegam manum, quæ diabolica quadam imitatione (est enim diabolus Dei simia) diuinam illam, quæ in altari sit oblationem, repræsentare ausa fuit, puniuit.

Aliud exemplum ponit Bredembachius lib. VII. cap. LX. his verbis. Contigit prope ciuitatem Hardericum Catholicum quendam in die Cincrum agere in diuerso: inter hæreticos: qui quum ientaculum sumerent, & Catholicum inuitarent, vt cum ipsis ientaret, isque antiqua ieiunij religione ductus reaueret; illi hominem dicerijs & contumelijs exceperunt, d. citantes, si lacrum audisset, iam faciliorem fore ad ientandum & his similia. Dicitur factum: Vestigio quidam ex illis profiliens: Ego, inquit, operam hanc illi facile præstitero: arreptumque mensarium orbem, eleuauit in d. spectum tremendi sacrificij SS. Eucharistia. Sed mox in altum eleuata brachia obriguere, vt ad se reducere non posset, paulo quoque post in eodem loco exspirauit. Hæc à viris integerrimis & fide dignissimis, inquit Bredembachius, ad nos perlatæ sunt. Idem aliud diuinæ vltionis Anno MDLXXVIII in alium qui SS. Sacramentum iridem blasphemauerat, in Brabantia editum exemplum ponit. Sed & in Polonia & alibi passim eadem sacrilega impietas varijs pennis à Deo vindicata fuit, vt infra dicitur. Neque enim vnus loci duotaxat Deus est, aut vno loco impij egent correctione.

III. Quoniam vero Sacramentorum erroris confutandi studium etiam ad ea miracula quæ nostro tēpore acciderunt, nos deduxit; hoc loco non possum nō illud ponere quod meis ipse oculis vidi, & cuius beneficio à profundo hæreseos luto fui extractus. Et licet illud meo de Antichristo libro inseruerim; nihil tamen a prohibet quo minus idem quoque hoc loco alia veluti inducta forma, proponam. Miraculum hoc inter pauca celeberrimum, factum est Laoduni Anno MDLXVI. in iuuentula quadam. Veruini non procul Laoduno nata, Nicolaa Obryn nomine. Quamuis autē initio illa à pluribus diabolis obsessa fuerit, omnes tamen

ante meum & sociorum qui comitati me fuerant, aduentum ab ea expulsi fuerant, præter eorum Principem Beelzebub. Misera hæc & infortunata fæmina, infinita spectante hominum multitudine in templum deducta, tam miseris modis à diabolo habita ac tortæ fuit, vt ossium fragor ac dentium stridor audiretur, torumque eius corpus nullam fere humanam speciem præ se ferret. Inflabatur ei venter ad instar dolij, ingluuiem ita aperiebat vt stomachi fundus à prope adstantibus posset inspicere, linguam pedis longitudine exferebat, oculisque crassis & rutilantibus ita scintillabat vt eius ad spectum vix quisquam ferre posset: tumque ita se in aerem efferebat, vt a duodecim aut quindecim hominibus non posset retineri. Laodunensi Episcopo super caput eius hostiam tenente, & iisdem quibus S. Bernardus (a) olim in simili calu vsus legitur, armis malignum spiritum oppugnante, ac dicente: *Ecce, o infelix spiritus, iudicem tuum ecce cælorum virtutem; resiste si potes, et qui dixit: Nunç Princeps huius Mundi eijcitur foras. Hoc corpus est, natum ex Maria Virgine, quod in arbove Crucis expansum fuit, quod in sepulcro quiescit, & resuscitatum, in cælos ascendit. Aduro te in virtute cælestis huius maris, ut ex eius ancilla corpore egrediaris.* His, inquam, & similibus exorcismis Episcopo malignum spiritum oppugnante, demoniaci illa horrendum in modum se eleuabat & auctis à S. hostia oculis, mille blasphemias euomebat. Deinde defixis in templi fornicem truculentis & minacibus oculis, ventum tamquã fumum ex ore & naribus emittebat. Tū tremens ac pauens, cõdebat, & magna totius corporis deformitate, velut erinaceus in se cõuolebatur. Quū rogaretur vero, cur ad S. hostiæ cõspectum tanto horrore corripere, diabolus respondit, ob illud, *Hoc est, Hoc est;* vim Sacramentalium horum verborum, *Hoc est corpus meum,* eo inuenens.

Omitto multa stuporis plena verba, per diabolum ex ore huius demoniacæ prolata. Tandem victus præfentia sacratissimi Iesu Christi corporis Beelzebub ex hospitio suo discessit, edito prius velut ingenti fumo, quæ horribiles fragores seu tonitrua insequuta sunt, adeo vt totum templum vnã cum adiunctis turribus insonuerit, cum magno omnium adstantium stupore. Est sane miraculum hoc maxime sacre celeberrimis quæ vnquam visa sunt, annumerandum, quod nec ipsi diaboli suppressere aut obscurare potuerunt; de quo etiam præter dignitate numquam satis dici potest. Sed ne longius